

Veritatum medico-practicarum decas quas ... / exhibet ... J.G.L. Schwartz.

Contributors

Schwarz, Johann Georg Ludwig.
Spies, Johann Karl, 1663-1729.
Universität Helmstedt.

Publication/Creation

Helmstadii : Literis Pauli Dieterici Schnorrii, [1724]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/aqjwuv9y>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

5
VERITATVM
MEDICO-PRACTICARVM
DECAS

QVAS
IN
DISPVTTATIONE INAUGVRALI
EX
DECRETO GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE
PRAESIDE

D. JOHANNE CAROLO SPIES
ARCHIATRO WOLFFENBVTTTEL. MED. PRACT. PP.
ET H.T. ORDINIS SVI DECANO

DOCTORE SVO FIDELISSIMO NEC NON PROMOTORE
OMNI HONORIS CVLTV PROSEQVENDO

PRO GRADV DOCTORIS

OMNIBVSQVE HONORIBVS ET PRIVILEGIIS
IN ARTE SALVTARI RITE IMPETRANDIS
IN IVLEO MAIORI

D. IX. MARTII MDCCXXIV.
HORIS ANTE-ET POMERIDIANIS
PVBLICE VENTILANDAS EXHIBET

AVTOR

JOH. GEORG. LVDOVICVS SCHWARZIVS
SCAPHVSO-HELVETVS.

HELMSTADII,
LITERIS PAVLI DIETERICI SCHNORRII,
ACAD. TYPOGR.

VERITATVM

MEDICORVM

DE

IN

IN

IN

D. JONATHAN

DOCTOR

DOCTOR

DOCTOR

DOCTOR

PROFESSOR

OMNIBVS

IN

IN

D. JONATHAN

MORIS

SVB

SVB

JOH. GEORGE

DOCTOR

IN

DOCTOR

DOCTOR

VIRIS

*GENEROSIS, PRAENOBILISSIMIS, EXCELLENTISSIMIS,
CONSULTISSIMIS, EXPERIENTISSIMIS AC
PLVRIMVM REVERENDO,*

DN. JOH. GEORG. SCHWARZIO,

Tribuno Plebis & Schleithenienfium atque Beggingenfium
Toparchæ GRAVISSIMO, Collegii Humanitatis atque
Gymnafii, quæ Scaphufiis florent, Præfidi meritiffimo,
Parenti Dilectiffimo, Filiali honore atque observan-
tia ad ultimam expirationem deve-
nerando.

DN. CHRISTOPHORO VEITHIO,

Tribuno Plebis & Beringenfium atque Hematovallenfium
Præfecto MERITISSIMO, Cognato fuo omni hono-
ris cultu ætatem profequendo.

DN. CHRISTOPH. HARDERO,

Tribuno Plebis Digniffimo, Med. Doct. Celeberrimo,
Studiorum Suorum Promotori nunquam non
maximi æftimando.

DN. FRANCISCO STOKARO,

Confilii Prætoriani Affeffori Splendidiffimo, Cognato
ad exequias usque colendo.

DN. HEINRICO KELLERO,

Med. Doct. Celeberrimo, Majoris Senatus Affeffori Di-
gniffimo, Reipubl. Scaphufienfis Phyfico Ordinario, ac
Phyfica Profeffori meritiffimo, Cognato & studio-
rum fuorum Promotori ætatem deve-
nerando.

DN. BALTHASARO PFISTERO,
Med. Doct. Celeberrimo, Majoris Senatus Affessori Di-
gnissimo & Studiorum suorum Promotori ad
cineres usque colendo.

DN. MARTINO MEIERO,
Med. Doct. & Rhetorices Professori meritissimo, Stu-
diorum olim Suorum Promotori æstu-
matissimo.

DN. JOH. GEORGIO OSWALDO,
Verbi Divini Ministro Fidelissimo & Rustswitensium
Pastori Meritissimo, Affini suo aman-
tissimo.

*Huncce primum Studiorum Academicorum Fructum ad sui Studiorumque
suorum commendationem & in Signum perpetuæ observantiæ
humillime offert atque consecrat*

MAGNORVM NOMINVM VESTRORVM

Perpetuus atque officiosissimus
Cultor

J. G. L. SCHWARZIVS.



A. D. G. & P. S.

PRAELOQVIVM.

Veritati semper est studendum sicut in omnibus, ita quam maxime in Medicina. Si Medicorum scripta evolvimus, multa in iis reperiuntur, de quibus disceptatur inter Medicos, unde nullae veritates sed mera dubia emergunt, quid igitur certi inde potest expectari?

Medicina est Doctrina de corporis humani naturali & praternaturali statu, exhibens media quibus iste conservari hic emendari queat. Talis autem Doctrina certo atque vero inniti debet fundamento, alias non pro Doctrina, sed pro dubia conjecturatione habenda erit, & licet definiatur per artem, hæc tamen quoque veris atque certis fundamentis non debet carere, nisi Medicinam potius Empiriam quam Doctrinam vel artem appellare velimus. Cum itaque in Medicina de tuenda & restauranda sanitate sumus solliciti, necessum est, ut certa instru-
cti



Et si simus veritate, qua indubitanter concludere licet, quomodo sese habeat præsens sanitas conservanda, & quomodo amissa vel infracta valetudo adequatis remediis restituenda ac integranda. Maxime igitur decet Medicum, ut istam veritatem sibi reddat cognitam, ne præjudiciis obrutus, aliquid agat, quod erat omittendum, aut negligat, quod erat faciendum, vel denique dubiis involutus nesciat, qua via atque methodo in curationibus sit incedendum. Cognitio autem hujus veritatis atque certitudinis ex duobus hauritur fontibus, quorum unus Ratio, alter Experientia vocatur. Ratio semper primum meretur locum, sine qua omnia empirice peraguntur, secundum sanam rationem inchoanda & peragenda sunt omnia in Praxi Medica; Experientia suppeditat certitudinem, ex ratione tamen deduci ac per illam explicari debet. Hæc ita mihi a Dn. Præside in Collegiis toties sunt proposita atque demonstrata, ut nihil magis curæ cordique mihi fuerit, quam veritates rationi & experientia superstructas indagare, ut hisce imbutus curationes cum certitudine suscipere atque peragere valerem. Proinde specimen meum Inaugurale de quibusdam veritatibus Medico-Practicis consignare constitui, sperans huncce laborem non plane inutiliter iri impensum, faxit itaque summus Medicinæ Creator, ut cedat in Creaturæ ratione prædita emolumentum!

J. J.

De veritatibus Medico-Præcticis acturus, statim indigitare debeo, me per hæc veritates nihil aliud intelligere, quam certitudinem rerum in Medica praxi peragendarum, quæ veritates per solidas rationes & veram experientiam comparandæ, ut a præconceptis opinionibus liberi maneamus & curationes cum certitudine ad tollendam morborum causam instituamus, vel etiam consilia cum simili certitudine ad tuendam sanitatem suppeditemus. Non autem in præsentiarum est animus de multis sed tantum de nonnullis veritatibus agendi, alias ad finem pervenire vix esset possibile.

VERITAS I.

QVALIS CHYLVS, TALIS SANGVIS,
QVALIS SANGVIS TALIS SANITAS,
VEL MORBVS.

§. I.



Hylus est prima sanguinis materia, ex chylo Massæ sanguineæ infuso, mediante continuo motu seu circulatione, conficitur sanguis, eidemque iterum accedit quod indies fecernitur, iste chylus autem suum habet ex assumtis alimentis proveniunt; quando igitur laudabilia
A bono

bono succo imprægnata ac facile digestibilia capiuntur alimenta & ventriculus recte est constitutus, ut debitum faciat officium, laudabilis extrahitur & generatur chylus, nulla vitiosa qualitate inquinatus.

§. 2. Si proinde ita in ventriculo sufficiens fit extractio succi dulcis lactei & in intestino duodeno, concurrente bile, succo pancreatico & liquore glandularum duodeni seu pancreatis secundarii, (sicut congeries glandularum duodeni ab illustri Brunnero, conterraneo meo experientissimo celeberrimoque, in peculiari Tractatu de Glandulis Duodeni vocatur,) secretio atque fluiditas, iste succus seu chylus consueto itinere deferitur ad venam subclaviam & cum massa sanguinea permiscetur, ac successive intime unitur, unde postea debitæ secretiones rite peraguntur, atque sic exoritur sanguis quoad temperiem & motum inculpabilis.

§. 3. Quando autem e contra alimenta capiuntur crassa, dura, viscida, austera, nimis acida atque salita, vel alia vitiosa quadam qualitate plena, quando etiam ventriculus propter quandam labem suam non exequitur munus, loco chyli dulcis generantur cruditates varia qualitate noxia imprægnatæ, quæ in intestino duodeno non emendantur (quod enim non corrigitur in prima, illud quoque non corrigitur in secunda coctione, sicuti in Scholis loqui amant,) dum itaque istæ cruditates, loco chyli laudabilis, propelluntur per lactea vasa ad massam sanguineam, non aliter fieri potest, quin ista simili qualitate inquinetur, hinc quoad temperiem & motum lædatur ac debitæ secretiones fieri nequeant.

§. 4.

§. 4. Inquinari autem massam sanguineam vitiosa tali qualitate, præter datam rationem, nempe *Qualis chylus, talis sanguis*, quæ satis esset sufficiens, cognoscitur oculari inspectione atque sic per experientiam confirmatur; Quem enim Medicorum latet, sanguinem venæsectione extractum vario modo sese præbere conspiciendum? Ita interdum mere spissus apparet absque ulla gutta feri, ut vix ex secta vena fluere queat, interdum autem mere aqueus profluit; ita quandoque plane mucilaginosus vel tantum crusta alba tenaci obductus videtur, ita nunc nigricans, coeruleus, viridescens, ut alia præteream, conspicitur, manifesto indicio, massam sanguineam vario modo peregrinam contrahere qualitatem, quid enim quæso de diversitate consistentiæ atque coloris aliter judicari potest? & qui illam negare laborat, nonne manifestam experientiam impugnare, & veritati contradicere videbitur?

§. 6. Satis itaque manifestum est, nec ulla ulteriori probatione indiget, ex chylo laudabili confici sanguinem quoad temperiem & motum laudabilem, ex vitioso autem chylo sanguinem seu massam sanguineam produci, simili vitiosa qualitate peccantem, hæc enim adeo cohærent, ut nulla ratione ab invicem separari queant, hinc recte dicitur: *Qualis chylus talis sanguis*.

§. 6. Quoad alterum primæ veritatis membrum, quod erat: *Qualis sanguis, talis Sanitas vel morbus*, nullum forsam movebitur dubium, si modo perpendimus, quæ hac de re Dn. Præses in Dissert. de Re-

mediis ad Sanitatem p. 1. Th. 2. his consignavit verbis : *Sanitas est integritas quoad actiones in corpore peragendas , dependet autem ista actionum integritas primario a bona massæ sanguineæ temperie , & libero sed temperato istius motu , quamdiu enim massa humoralis laudabili gaudet temperie quoad crasin & consistentiam , tamdiu etiam temperatus continuatur motus , ut nec excedat , nec deficiat , & consequenter peragenda secretiones convenienter absolvuntur , quibus omnibus rite se habentibus , integra observatur Sanitas , illis vero læsis , istius ilico percipitur decrementum.* Hæc enim sententia ex in destructibili fundamento , ratione videlicet & experientia , est desumpta , quæ utraque nos docet , Sanitatis negotium ita esse comparatum , ut in bona sanguinis temperie & temperato istius motu quæri ac reperiri debeat , nec aliunde deduci queat , quod omnes alii confirmant Physiologi. Si nunc Sanitas a bona sanguinis temperie & convenienti illius motu dependet , per consequentiam rectissime inducitur , a vitiosa sanguinis temperie & vitiato istius motu labefactari sanitatem & quamplurimos oriri morbos , unde verissimum manet , *qualis sanguis talis sanitas , vel morbus.*

§. 7. Ut istam veritatem , licet jam instar meridiani solis fulgeat ac in omnium oculos incidat , uno vel altero exemplo illustrem , febres tam intermittentes , quam præsertim continuas in medium producere placet , ubi omnium Practicorum consensu in massa sanguinea reperitur tumultus seu motus auctus , a materia quadam heterogenea , aut ut alii volunt , a natura

tura excitatus, ut heterogenea materia expellatur. Quomocunque nunc hæc res ab hoc vel illo explicetur, semper tamen verum atque certum manet, sicut omnes uno fatentur ore, in massam sanguineam aliquid esse delatum, quod istum tumultum excitavit, & sanguinis temperiem atque motum læsit. Ex Variolis, Morbillis, Scabiosis affectibus &c. satis superque cognoscitur massæ sanguineæ qualitatem esse vitiatam; Cachexiæ quoque de vitiosa qualitate sanguinis testantur, ut vel per solum aspectum cognosci queat, nec de aliis morbis Chronicis dubitari potest, quin ibi sanguinis temperies atque motus sint læsa.

§. 8. Hæc tamen vitiosa qualitas nequaquam extendi debet ad omnes morbos, quippe quorum nonnulli accidere possunt absque notabili læsione qualitatis massæ sanguineæ, sicut cognoscere licet ex Vomitu, Diarrhoea & similibus afflictionibus, qui interdum ab assumptis oriuntur ac brevi transeunt, qualitas autem sanguinis, seu temperies atque motus istius plane non immutatur, aut saltem non sensibilibus læditur. Hinc in Praxi probe attendi meretur, an & quomodo sanguinis qualitas sit læsa, nec ne, & licet quandoque eadem in diversis morbis non queat accusari, nihilo tamen minus verum manet: *qualis sanguis, talis sanitas*, quoniam istæ afflictiones in quibus sanguinis qualitas non est læsa, sanitatem corporis haud adeo graviter infringunt, quo magis vero sanguinis temperies est læsa, eo graviores & curatu difficiliore eveniunt morbi ac inde oriundi affectus.

CACHEXIAE EX VENTRICVLI CRVDI- TATIBVS GENERANTVR, ET QVO MI- TIVS EO TVTIVS CVRANTVR.

§. I.

Quid significet Cachexia, nulla indiget explicatio-
ne, notum enim est, per Cachexiam indigitari
coloris nativi in pallidum & subtumidum mu-
tationem a vitiata hæmatosi dependentem, hoc autem
brevibus erit dicendum ac demonstrandum vitiatam
illam hæmatosin ex ventriculi labe suam ducere origi-
nem, bene enim scribit Dn. Schamsky Promt. Med. Pr.
p. 94. *Primaria causa est deficiens Chylosis, dum nempe in
Stomacho alimenta nec rite fermentando volatilifantur, nec
in subdulcem aut salino volatilem abeunt liquorem, sed in
pituitam viscidam & acidam degenerant, quæ cruditas
translata ad sanguinem constituit cacochymiam & hæc
cachexiam.*

§. 2. Cachexia igitur cujuscunque fit conditio-
nis, talis est morbus, qui suum habet ortum ac initi-
um ex ventriculi labe, quando videlicet ob inertiam
liquoris gastrici, quem fermentum nominare solent,
alimenta haud debite inciduntur & resolvuntur, sed
potius in viscidius liquamen abeunt, vel etiam quan-
do ipsa alimenta ita sunt comparata, ut digeri neque-
ant, sed in cruditates viscidas mutantur, quod optime
ac verissime indigitat Bartholdus, qui Prax. Clin. Ge-
ner. P. III. p. 127. bene scribit : *Causæ cachexiam antece-
dentes sunt omnia, quæ lædunt chylosificationem, primatum
autem*

autem obtinent errores in Dieta & imprimis assumptio alimentorum copiosorum, dyspeptorum, viscidorum ac glutinosorum, quo etiam referri debent alimenta frigida continuo assumpta, ex his omnibus enim cruditates viscidæ generantur, quæ ad massam sanguineam delatæ eandem simili visciditate inquinant, atque sic istius temperiem & motum lædunt, & ad debitam circulationem ac secretionem ineptam reddunt, unde obstructions in visceribus & stagnationes feri viscidi in habitu corporis producuntur, ut natus color in pallidum & subtumidum mutetur, actiones animales infringantur, & diversa symptomata & graviores morbi insequantur.

§. 3. Quoties igitur quædam cachexiæ species obvenit curanda, hanc veritatem practicam atque certitudinem constituere possumus, eo esse primario laborandum, ut ventriculum a cruditatibus viscidis liberemus, ita tamen, ne illius tonus adhuc magis labefactetur. Efficimus id ipsum continuato Rhabarbari usu, quod præstantissimum est in Cachexiis evacuativum, quo primæ viæ a cruditatibus liberantur, & tonus illarum firmatur. Recte autem interponuntur salina, tam volatilia, quam media & fixa, cum amaris, ac tandem diuretica, ut visciditas humorum eo melius destruat, his enim cachexiæ cura optime inchoatur atque absolvitur, sicut sana ratio talia dictat, & experientia confirmat, dum successive totius massæ humoralis visciditas attenuatur, stagnationes humorum tolluntur & producta morbosa evanescent. Duo maxima remedia, inquit Baglivius, in Chronicis mor-

morbis sunt Chalybs & Rhabarbarum, quibus ita uttor: R. Chalyb. gr. XV. Rhabarb. scr. j. cui superbi-be brodium amarum & diureticum, non posthabita exercitatione corporis horis matutinis.

VERITAS III.

MALVM HYPOCHONDRIACVM AB ACIDO P. N. DEPENDET, ET IN HVIVS DESTRUCTIONE VERA ISTIVS CVRATIO EST LOCATA.

§. I.

Malum hypochondriacum est quidem congeries multorum symptomatum vario modo affligentium, omnia tamen primum habent proventum ex ventriculo, & quidem præcipue ab acido p. n. ibidem generato plus minus acri, quod non solum in ventriculo ac intestinis verum etiam in mesenterio & aliis partibus sensibilibus nunc essentialiter ac idiopathice, nunc accidentaliter & sympatice spasmodicas afflictiones excitat. Acidum enim p. n. constitutum ac plus minus acre vel austerum redditum, omnium aptissimum est ad inducendas crispaturas & vellicationes fibrarum sensibilium, ut distendantur & constringantur, ac variæ inde eveniant molestiæ, ita ut vix ullum symptoma in Hypochondriacis compareat, quod per illud non possit explicari. Quam maxime autem hanc sententiam confirmant ructus acidi, & vomitus acidissimi hypochondriacis frequenter molesti, ut nihil dicam de ardore ventriculi, pectoris dolorifica constrictione, alvi obstructione, quæ omnia de præsentia acidi p. n. testantur.

§. 2.

§. 2. Sed omnium clarissime per experientiam ex juvantibus & nocentibus cognoscitur, acidum in primis viis generatum & per totum corpus distributum potissimam atque verissimam esse causam in malo hypochondriaco; ex juvantibus quidem dum magnesia alba, Martialia & Spiritus salis ammoniaci simplex & martialis aliique liquores salini volatiles, tanquam potentissima antacida, tam in paroxysmis hypochondriacis, quam extra illos, symptomata hypochondriaca efficacissime compescunt, imo totum malum plerumque vincunt, si modo debito ordine ac sufficienter in usum vocantur, quamvis etiam in Melancholiam Hypochondriacam jam abierit; ex nocentibus autem, dum hypochondriaci usu acidorum & facile accipientium facillime offenduntur; qua de re multorum Practicorum testimonia inferere possem, si autoritate pugnare vellem, sed ratio ac experientia sufficiunt, ut ad auctoritatem confugere non sit necessum.

§. 3. Scio quidem, diversos Practicos de causa mali hypochondriaci aliam fovere sententiam, ita Bartholdus inquit: *Causa originalis affectus hypochondriaci est impeditus sanguinis motus per viscera abdominis, unde stagnante sanguine in vena portae, ejusque ramis, vapescencia, acredo & corruptio provenit, & sanguis crassus ac densus evadit; hinc non tantum vitatur lymphæ stomachalis, intestinalis & pancreatica, quæ alimentorum digestionem præest, verum etiam a sanguine copioso impuro circa abdominis viscera stagnante spasmodici motus suscitantur.* Sed admodum dubia & insufficiens videtur hæc supposita causa, cum vix concipi queat, quomodo

B

do

do sanguis in vena portæ, vase videlicet satis amplo & versus hepar ampliori fiente, stagnare possit. Si quidem liquor vehi debet per canalem a principio augustum in angustiore, tunc bene intelligi potest, quomodo fieri queat stagnatio, quod nempe crassior liquor facile influere queat canalem augustum, non autem eadem facilitate transire possit per angustiorrem factum, quando autem liquor per angustas ramificationes jam transiit in angustiore canalem, quomodo ibi hæere ac stagnare potest? Sed posito, nunquam tamen concessio, sanguinem stagnare posse in vena portæ, quomodo ista stagnatio tam subitam sæpe constrictionem pectoris inducere valet, quæ sæpe in Hypochondriacis observatur, quæque interdum subito iterum cessat? Quid confert ista stagnatio ad acidos ructus, & ad acidissimos vomitus, qui hypochondriacis sæpe sunt molesti? Sed non litigandum est diu de verbis aut conceptibus, si modo conveniamus in re h. e. in curatione, ubi idem Dn. Bartholdus ad tollendam mali radicem commendat, quæ sanguini spiritualescentiam inducunt, inter quæ laudat martialia, Salia volatilia oleosa, Spiritum Salis ammoniaci, Oleum tartari per deliquium; in Diæta autem acida vitanda esse docet, atque sic reipsa indicat, curationem consistere in acidi p. n. destructione.

§. 4. Sed quæritur, an hypochondriacis curandi vel præservandi fine conveniat venæsectio? Quando, inquit Bartholdus, *vasorum turgescencia adest, & imprimis, si antea fuerint adsueti sanguinis excretionibus, quovis anno vena aperiatur, evacuata enim sanguinis*
portione

portione, reliquus sanguis eo facilius per convenientia remedia corrigi potest. Verum quomocunque consideremus venæsectionem, nunquam tamen est conveniens pro hypochondriacis remedium, 1. quia acidum primarum viarum per venæsectionem non destruitur, 2. quia per eandem sanguis contaminatus non corrigitur, sed fatente Bartholdo per diuturnum medicamentorum usum corrigi debet, 3. quia sanguinis stagnatio, quam præsupponit Bartholdus, per venæsectionem non tollitur. 4. quia venæsectione nihil constantis auxilii impetratur, quod experientia docet, quæ testatur, hypochondriacos nihil minus suas experiri molestias, quamvis bis in anno venæsectionem in pede administrari curent. Verissima igitur manet Veritas, in acidi p. n. destructione veram mali hypochondriaci curationem esse locatam, hancque temere a repetitis venæsectionibus expectari.

VERITAS IV.

OMNE HÆMORRHOIDALE NEGOTIVM
DEPENDET A VITIOSA SANGVINIS QUALI-
TATE, AC IDEO TANQVAM MORBOSVM
PRODVCTVM CONSIDERARI DEBET.

§. I.

HUjus assertionis veritas omnium maxime ac certissime cognoscitur, si attendimus, quod isti, qui bene fani existunt, qui laudabilem servant diætam, atque hinc bona gaudent sanguinis temperie, nunquam experiantur hæmorrhoidalem fluxum, ac

multo minus hæmorrhoidales molestias, & quod hoc ipsum ita revere se habeat, docet experientia. Quotquot enim prædicto modo constituti, h. e. bene fani, laudabilem servant diætam & bona sanguinis temperie gaudentes interrogantur, se de hæmorrhoidibus nihil scire respondebunt.

§. 2. Ubi igitur bona adest sanguinis temperies ac conveniens motus, ut absque impedimento per vasa circulari queat, nullus fieri potest hæmorrhoidalis fluxus, nec oriri possunt hæmorrhoidales molestiæ, quoniam sanguis in vasis hæmorrhoidalibus non stagnat, hinc bene scribit Bartholdus Pr. Clin. Gen. Cap. 8. §. 4 : *Corripiuntur fluxu hæmorrhoidali, præsertim qui otio & quiete delectantur, multum comedunt & adhuc magis si fuerint Hypochondriaci, ex quibus omnibus sanguinis Dyscrasia judicari potest.* Unde etiam D. Schamsky Promt. Med. Pract. p. 395. rectissime dicit : *Hæmorrhoides consistunt in sanguine acri acido, scorbutico & melancholico, unde raro aut nunquam sanis accidunt, sed sanguine præternaturaliter constituto.* Si quoque attendimus, quibus & quomodo hæmorrhoides creant molestias, semper cognoscemus, easdem in valetudinariis, & ubi sanguis dyscrasia quadam acri aut acidoviscida est inquinatus, observari. Hinc notat Forestus L. 23. Observ. 5. in Schol. *quod iis, qui laborant Hæmorrhoidibus, color faciei ad viridem declinet.*

§. 3. Ex his omnibus proinde sequitur certissima veritas : *Hæmorrhoidum fluxum vel apertionem non esse sincerum atque constans pro tollendis morbis chronicis remedium,* siue enim sponte fluant, siue arte aperiantur, fan-

sanguinis tamen vitata qualitas non corrigitur. Si quidem in morbis chronicis sponte vel arte aperiantur, quoddam percipitur levamen, sed tantum temporaneum, nunquam constans, quod experientia in Hypochondriacis docet, quæ etiam testatur, illas sæpe frustra aperiri.

§. 4. Non tamen ideo videri volo, me hæmorrhoidalem fluxum, quando sponte contingit, judicare plane inutilem ac proinde sistendum, bene enim scio, quod iste fluxus, si rite procedit, certo modo adferat commodum, & si supprimitur, majora inducat symptomata, hoc tamen testante experientia certum manet, morbum chronicum per hæmorrhoidum fluxum non iri constanter solutum, quamdiu videlicet massæ sanguineæ dyscrasia, quæ isto fluxu non emendatur, sed tantum ad tempus nonnihil imminuitur, est superstes, ac proinde in curatione morborum chronicorum rectius ad sanguinis correctionem, quam ad hæmorrhoidum apertionem est respiciendum, & quoties Hæmorrhoidum molestiæ observantur, melius quoque ac tutius sanguinis correctio instituitur, quam hæmorrhoidum apertio suscipitur, præsertim si nunquam antea fluxerunt. Licet enim per acriora medicamenta aut hirudinum applicationes aperiantur, quid quæso auxilii reportant ægroti? Experientia respondet, exiguum atque inconstans impetrari auxilium. Quando autem jam antea fluxerunt, & nunc suppressæ molestiam creant, apertio quidem tentari, ac inde levamen haud diu tamen duraturum, expectari potest, dum sanguinis dyscrasia, ut jam dictum, non emendatur, sed

semper eadem manet, licet ad tempus imminuatur; Quamvis enim portio impuri liquoris ex vase effundatur, ideo tamen relictus in vase liquor ab impuritate non liberatur, ita etiam sese res habet cum massa sanguinea, quæ quoad qualitatem non corrigitur, licet quoad quantitatem nonnihil imminuatur.

§. 5. Recte itaque concludere possumus, hæmorrhoidalem fluxum, & hæmorrhoidales molestias dependere a sanguine præternaturaliter constituto, dum in subjectis morbofis quam maxime observantur, atque ideo pro morbofo producto debere agnosci, quod, corrigendo massam sanguineam, emendandum, cum per experientiam constet, hæmorrhoidales molestias, siue sint nimium fluentes siue furentes, certo atque tuto mitigari & abigi, si conveniens massæ sanguineæ instituitur correctio.

§. 6. Hæc correctio optime peragitur, si primas vias ab impuritatibus acido-viscidis vel acris liberamus, & sanguinis visciditatem acri sale imprægnatam emendamus, illumque sic ad bonam temperiem ac liberam circulationem redigimus, & si hoc debite perficitur, nunquam opus erit hæmorrhoidum apertione, dum omnia Symptomata, quæ ante observantur, sponte cessant, si quoque ejusmodi sanguinis correctio in aliis morbis, quibus symptomatice accedunt hæmorrhoidum molestiæ, instituitur, optime eadem tolluntur. In hac sanguinis correctione unice consistit vera curatio omnium illorum affectuum, in quibus hæmorrhoidalis fluxus salutaris judicari potest, qui tamen plerumque tantum palliative & sine constantia opem ferre solet.

VERI-

MENSIVM SVPPRESSIO PLERVMQVE
MELIVS SINE QVAM CVM VENAE-
SECTIONE TOLLITVR.

§. I.

SI omnium fere Practicorum, tam antiquiorum, quam recentiorum evolvimus scripta, unanimi fere ore pronuntiant, ad tollendam mensium suppressionem administrandam esse venæsectionem. Sed iidem Practici docent, in mensium fluxu nimio aliisque hæmorrhagiis celebrandam esse sanguinis missionem, ut fluxus compescatur ac sistatur. Atque sic venæsectio juxta illorum assertionem valet ad promovendum & sistendum mensium fluxum, quæ tamen assertio manifestam continet contradictionem, quomodocunque etiam applicetur. Quicquid enim humorum fluxum sistit, illud eundem promovere nequit, sed venæsectio juxta quamplurimos Practicos nimium mensium fluxum sistit, ergo illum promovere non potest. Si autem Practicorum scripta acuto inspicimus oculo, cognoscimus, illos erroneam fovere sententiam de Venæsectione in Mensium obstructione, dum huic tribuerunt effectum, qui tribuendus erat medicamentis, omnes enim docent, administrata venæsectione, exhibenda esse medicamenta, quæ sanguinis visciditatem seu vitiosam qualitatem corrigere valent. Venæsectio, inquit Bartholdus, instituatur, ut plethora imminuta, vitiosa sanguinis qualitas melius corrigi possit. Sed sanguinis abundantiam rarissime concurrere, docet Fr. Sylvius Pr. L. 3. Cap. 3. Cacochymiam autem potius accusandam esse testa-

testatur experientia, quæ venæsectione emendari non potest, licet enim centies administretur, vitiosa tamen qualitas non corrigetur, nisi accedant medicamenta, ad sanguinis correctionem apta; si igitur vera correctio fieri debet per medicamenta, quid opus est venæsectione, & si reliqua massa sanguinis est emendanda, quidni etiam exigua sanguinis portio per venæsectionem extracta.

§. 2. Feyenus quidem Med. Pr. p. 673. dicit: *Saphæna instante purgationis tempore cesa suppressos menses movet, nam sanguinis impetu deorsum converso, venæ, quæ in uterum desinunt, resignantur*, atque his indicare videtur per solam istius venæsectionem mensium obstructionem solvi posse. Sed recte quoque idem Autor videtur non intellexisse veram sanguinis circulationem. Saphænæ enim principium est in infimis pedibus, ubi exsurgentes ramuli constituunt primo cephalicam in pollice, quæ ulterius adscendens & cum aliis in malleolo interno concurrens dicitur saphæna, hæc tandem prope inguina ingreditur cruralem, quæ sanguinem ex totius cruris venis recipit ad cavam deferendum; quid igitur commercii & connexionis habet saphæna cum utero, ut illa secta, venæ uteri aperiantur? Licet enim saphæna aperiatur, ideo tamen sanguis ad uterum copiosius ruere non potest, quam vasa uteri recipere possunt, quæ dum sunt obstructa, liberiores affluxum non admittunt, præsertim quamdiu sanguis existit viscidius.

§. 3. Sed audiamus & alios, qui merito audiendi. Oportet, inquit Caspar. Hoffm, Instit. p. 409. *Sanguis in ea copia sit, ut efflurere possit*, alias scribit Fortis Tr. de Morb.

Morb. Mul. in ciendis mensibus ludetur opera, non subtrahendus est sanguis per venæsectionem, ne vigor subtrahatur. Sylvius autem l. c. experientia munitus dicit: perfacili blandaque methodo pluribus menses movi, nulla instituta in eum finem venæsectione. Musitanus porro Lib. de Morb. Mul. p. 76. ad quæstionem ibi propositam, an venæsectio conveniat in cura mensium obstructionis, respondet: cum uterus excrementis abundet & affectus contumax sit & antiquatus, venæsectionem potius obesse quam prodesse, ex eo, quia minuitur cum sanguine id, quod obstructionem solvere potest. Occurrendum est igitur vitio sanguinis & causæ, ob quam non effluit per vias, & hoc veri Medici munus est, venæsectio igitur locum habere non potest in hoc affectu nisi per accidens.

§. 4. Ut vero tandem veritatis supra exhibitæ rationem explicem, brevibus antea præmittere expedit, potissimam & frequentissimam obstructionis mensium causam esse vitiosam sanguinis qualitatem, quam Musitanus l. c. describit inquires: *ex sanguinis vitio supprimuntur menses, si inquinatus est nimia crassitie & glutinosa visciditate, quæ massæ sanguineæ volatilem crasim invertit, fermentationem aut turgescientiam uberiores & fluxilitatem impedit & ad motum reddit ineptum*, qualem sententiam, licet aliis verbis exprimatur, fovēt multi alii celebriores Practici & quotidiana experientia confirmat. Experimur enim, mensium obstructionem frequentissime ex vitiosa chylicatione suam ducere originem, qua caco-chymia & cachexia inducitur ac ordinario mensium suppressio, & si causas antecedentes inquirimus, omnes fere eo tendunt, ut san-

C

guinis

guinis lentor inde proveniat. Dum itaque hæc sunt verissima, firmiter concludere possumus, venæsectionem ad tollendam mensiumobstructionem parum valere, sed potius obesse 1. quia vitiosa chylicatio per venæsectionem non potest emendari, 2. quia venæsectione id, quod adhuc magis fluidum in venis reperitur, expellitur, crassioribus partibus relictis, hoc enim certum est, quod per exiguum venæ vulnuscolum lancetta factum liquidiora præ crassioribus facilius emanent, si igitur massa humoralis parte magis fluxili adhuc magis privatur, relictæ crassior massa ad motum magis inepta redditur, cum tamen fluxilitas massæ sanguinæ ad mensium profluxum sit maxime necessaria. Ex his omnibus proinde recte ac vere concluditur, *mensium suppressionem plerumque melius sine quam cum venæsectione tolli*, & si experientiam consulimus, illa nos docet, fluxum mensium per venæsectionem potius retardari quam promoveri.

§. 5. Optima igitur curatio pro mensium obstructione referenda consistit in eo, ut iterum ventriculi habeatur ratio, istiusque vitiata chylicatio corrigatur, dum in ista menstruorum causa est quasi radicata, quo peracto omnis labor impendendus est, ut visciditas seu glutinosus massæ sanguinæ lentor corrigatur & emendetur, illaque satis fluxilis & ad motum atque turgescientiam apta reddatur per medicamenta, quæ efficaciter sanguinis lentorem attenuant, incidunt, resolvunt, subtilisant atque commovent; unde præmissis universalibus & vigore ventriculi restituto, optimum auxilium peti ac expectari poterit ex Martialibus

bus debite paratis cum salinis aromaticisque miscendis, interpositis simul salibus volatilibus oleosis ac emenagogis.

VERITAS VI.

PLEVRITIS TVTISSIME AC CERTISSIME CVRATVR ABSQVE VENÆSECTIONE.

§. I.

HAnc veritatem dubiam reddere videntur celebratissimorum Practicorum scripta, ex quibus cognoscimus, ab omnibus fere commendari & tanquam necessariam haberi venæsectionem in pleuritidis curatione.

§. 2. Willisius stagnationem sanguinis in pulmonibus citissime esse auferendam judicat, illumque in finem venæsectionem tanquam præcipuum remedium commendat; Sydenham docet, venæsectionem interdum esse adeo necessariam, ut repeti debeat, hinc scribit: *sanguinem mox in principio extrahendum esse ad decem uncias, & si dolor urget, eadem quantitate eodem vel altero ac tertio die esse emittendum*, sicque quoad largam sanguinis evacuationem convenire videtur cum Hippocrate, qui posteritati regulam reliquit, *ut sanguis usque ad coloris mutationem mittatur*. Hildanus e contra suadet, ut venæsectio per vices fiat, nec longis intervallis, neque magna quantitate. Dolæus inquit: *pleuritidem ab acido coagulante ortam & a sanguinis impedito motu inductam statim curamus venæsectione ab initio*

tio instituta. Atque ita quamplurimi Practici non solum laudant venæsectionem in pleuritide, verum etiam ita necessariam habent, ut sine ista pleuritidem haud bene curari posse existiment.

§. 3. Helmontius autem venæsectionem in pleuritide damnat, illamque tanquam maledictum remedium rejicit, quia per phlebotomiam curata pleuritis sæpius tabem post se relinquit, balsamus enim vitæ, inquit, venæsectione ejicitur. Sylvius in cura pleuritidis nullam administrandæ venæsectionis mentionem facit, sed pro certo affirmat, illam absque ulla venæsectione sanguinisque missione felicissime curari. Musitanus de venæsectione in pleuritide ita differit: *venæsectio in pleuritide per accidens aliquod juvamen asferre videtur, minuit enim sanguinem, qui affluens est, & affectum auget; sed infirmi vires infirmiores reddit iterata venæsectio, & tamen ex stratis viribus opportuni aliquid sperant in desperatis, unde affectus ad mortem terminatur, vel in longum protrahitur, vel in Empyema transit, quod autem de revulsione & derivatione vulgares Medici dicunt, figmentum est, ut sanguinis circulatio ostendit.* Plura quoque hac de re non contemnenda addit, quæ tamen huc transferre supersedeo; Nenterus scribit, *Venæsectionem per se non esse necessariam, in plethora tamen & temperamento calidiori non esse negligendam.*

§. 4. His ita præmissis, meum nunc est, ut veritatem supra propositam, *Pleuritidem videlicet tutissime atque certissime curari absque venæsectione,* demonstrarem, quod optime fieri potest per rationes & experientiam. In pleuritide & omnibus febribus inflam-

flammatoriis stagnatio & respective extravasatio sanguinis pro vera agnoscitur causa, ubi omnino sanguinis spissitudo, aut ad coagulum dispositio præsupponi debet, qua contingente, ineptus redditur ad circulationem per minutissima vasa, dum igitur illa transire nequit necessario stagnare & propter continuum affluxum extravasari debet, unde inflammatio & suppuratio. Nunc autem sanguis in vasis stagnans vel extravasatus & coagulatus per venæsectionem resolvi & ad motum progressivum induci nequit; neque etiam idem sanguis propter venæsectionem in vasa inanita resorberi & aliorum deferri potest, quod Willisius existimat, talis enim sanguinis regressus est contra circulationem, in qua sanguis in iisdem vasis non regredi sed progredi debet, nec tandem sanguinis affluxus ad partem affectam impeditur, illius enim motus per consuetas vias semper manet idem. Et quæso, qualis effectus ab administrata venæsectione expectari & sperari poterit, dum sanguis ex toto corpore in dextrum cordis ventriculum ac inde ad pulmones vehitur? si dicis, per venæsectionem minui sanguinem, ut adeo copiose non propellatur ad pulmones, nec stagnatio augeatur, sed potius tollatur, respondeo, licet non nihil minuatur sanguis, ideo tamen affluxus sanguinis ad pulmones non impeditur, sed semper continuus manet ac manere debet, quod nemo negare poterit, quamvis nunc respectu sanguinis extracti forsan in quovis pulsu aliquot guttulæ minus propellantur ad pulmones, interim tamen sat copiosus illuc influit, ut nihilo

minus stagnatio augeri queat. Si itaque stante & continuante sanguinis circulatione sanguis ex corde ad pulmones propellitur, licet venæsectio fuerit administrata, hæc pro adæquato remedio, ad tollendam sanguinis stagnationem in pulmonibus agnosci nequit, quæ necessario augeri debet, quamvis tantum guttatim accedat sanguis. Et quid de ipsa sanguinis per venæsectionem imminutione est dicendum? nonne illa est tantum imaginaria? nonne ista exigua sanguinis extracti quantitas brevi ex potu restituitur, ut eadem quantitate iterum in venis contineatur? De qualitate sanguinis per venæsectionem emendanda nihil amplius addam, cum jam supra aliquoties dictum sit, sanguinis qualitatem per venæsectionem corrigi non posse. Interim tamen brevibus tantum indicare expedit, sanguinem in pleuritide admodum viscidum & ad coagulum primum existere, sicut hoc ex sanguine per venæsectionem extracto sufficienter cognoscitur.

§. 5. Experientiam demum quod concernit, nemo Practicorum unquam docuit, per solam venæsectionem pleuritidem curatam, sed omnes uno ore fatentur, stagnationem sanguinis in pulmonibus per medicamenta esse tollendam, & materiam stagnantem per expectorationem esse evacuandam, si igitur ad utrumque opus venæsectio nihil confert, quem in finem instituitur? Sed ut propius accedam, veritatem supra propositam probat experientia Practicorum, qui sincere testantur, se pleuritidem absque venæsectione feliciter curare. Sylvii, Helmontii & Musitani jam facta est mentio, qui sua experientia confirmant, se

se pleuritidem absque venæsectione felicissime curasse. Ita in methodo curandi pleuritidem, quam exactissimus olim Ludovici tradidit, nihil reperimus de venæsectione. Sic etiam Joh. Langius curationem pleuritidis sine venæsectione inchoavit & feliciter absolvit. Dn. Præsidis experientiam hic quoque adducere placet, qui in Collegio Practico per omnem veritatem testatur, se, cum Wernigerodæ Physicatus munere functus sit, pleuritidem quotannis copiose grassari solitam absque venæsectione tuto atque cito curasse, quod postea Wolffenbuttela eodem modo & hic quoque peregit, addit vero discursive, se aliquando, urgente nimium febre, & quandoque propter adstantium præconceptam opinionem in junioribus administrari curasse venæsectionem, semper tamen notasse, quod postea morbus diutius durarit. Sed & ad experientiam quorundam commilitonum praxin jam exercentium provocare licebit, qui methodo a Dn. Præsidente proposita felicissime sine prævia venæsectione pleuritides curarunt, atque sic per experientiam satis probatam esse judico, pleuritidem absque venæsectione curari posse.

§. 6. De pleuritide epidemice cum malignitate grassante per se satis notum est, in illa venæsectionem a Practicis dissuaderi, sicut ex Dolæo, Bartholdo & multis aliis constat. Mihi vero hoc bene inservit ad probationem propositæ veritatis, si enim pleuritis cum febre maligna conjuncta, sine venæsectione curari debet atque potest, quidni etiam benigna?

§. 7. Non tamen prorsus ita edoctus sum, ut venæse-

næsectionem in totum rejiciam , hoc autem hic tantum indigitare volui , venæsectionem ad curam pleuritidis non esse absolute necessariam, sed istam absque venæsectione tuto atque certo curari posse.

§. 8. Consistit autem hæc curatio unice in sanguinis stagnantis & ad coagulum proni resolutione, an vero ista sanguinis coagulatio dependeat ab acidi accessione aut frigidi admissione , hic nullus discipulandi est animus, sufficit adesse stagnationem & coagulationem sanguinis, qui, nisi cito resolvatur, abit in suppurationem & sæpe corruptivum gangrænismum. In cura igitur adhibenda sunt , quæ sanguinis coagulum resolvere valent. Damnantur a multis diaphoretica volatilia, de illisque scribit Baglivius Prax. Med. p. 136. quod non sint exhibenda, quia sanguis in principio ejusmodi morborum acutorum fit superque inflammatus, sed Ettmullerus quam maxime commendat Spiritum CC. essentif. ad Scrup. ij. cum Essent. anod. gt. V. pro dosi in principio exhibendum; simile remedium etiam Dn. Præses summopere deprædicat, inquiens se nullum melius atque efficacius expertum esse medicamentum in Pleuritide A. 1717. in Ducatu Wolfenbuttelenfi epidemice grassante, quam Essent. bez. albam, ita ut omnes, qui ista mox in principio usi fuerunt, inter vivos sint servati, cum alii plurimi ex hoc morbo perierint. Propinavit autem illam primis tribus diebus mane & pomeridie, superbibendo infusum Thee anti-pleuritici, imperata sufficienti transpiratione. Celeberrimus quoque Lentilius in Jatromn. egregie notavit, a salibus volatilibus temere metui aliquam noxam, cum
non

non faciant impetum sicut sulphurea, sed potius egregie resolvant & stagnationes humorum tollant. Sed absque volatilibus salinis curatio pleuritidis feliciter peragitur, si modo resolventia & discutientia debito ordine exhibentur, ut continuata transpiratio conservetur. Varia hunc in finem a variis Practicis sunt commendata, ut mixtura antipleuritica Barbette, Specificum antipleuriticum Gockel., Potio discutiens Joh. Langii, Potio Diapnoico-resolvens Nenteri, Pulvis Pleuriticus Ludovici, Extractum bellidis Sim. Paulli, Tinctura sanguinis hirci, Aqua destillata fimi columbini in Eph. Germ. N. C. Dec. 2. A. 1. p. 192. a Dn. Albrecht laudata &c. Ita etiam Dn. Præses retulit, se aliquando ex ore expertissimi D. Albrecht Physici apud Hildesienfes celeberrimi audivisse, solum decoctum CC. cum CC. usto largiter unitum efficacissimum esse remedium pro curanda pleuritide, quod etiam Dn. Præses in nonnullis plebejis est expertus. Medicamenta autem, quibus Dn. Præses communiter usus est, consistunt in pulvere antipleuritico & Thee antipleuritico, de quibus dicit, se in principio usque ad septimum morbi diem nullis aliis indiguissse, quibus etiam quidam commilitones pleuritides feliciter profligarunt. Sed properandum ad reliquas veritates, quas hac vice proponere ac defendere constitui.

VERITAS VII.

**VOMITORIORVM TEMPESTIVE AC
CVM PRVDENTIA EXHIBITORVM INSIGNIS
EST VSVS TAM PRÆSERVANDI QVAM
CVRANDI FINE.**

Qui febrium initiis conatum vomendi habuerunt & negligentia medici vel naturæ debilis impotentia non vomuerunt, progrediente morbo gravissimis corripiuntur diarrhoeis. Hoc ita docet Baglivius Prax. Med. L. I. C. XIII. in quo monstrat, quanti intersit præcepta sive certas constantesque regulas stabilire, ad quas iudicia sua dirigere queat, in ambiguis morborum eventis hærens perflexusque Medicus, inter quas autem regulas §. 2. exhibet modo dictam propositionem, quam Autor multiplici experientia munitus probe observandam consignavit, quæque multum confert ad probandam modo traditam veritatem.

§. 2. Vomitoria recto ac debito tempore adhibita multam merentur laudem, quippe quibus sæpe integra morbi minera eruitur, & tota morbi radix evellitur, aut ad minimum subsecutura symptomata averuntur. Quando enim in ventriculo materia morbifica continetur, ex qua quædam ægritudo producitur, quid melius propinari poterit quam vomitorium, dum isto mediante causa morbifica cito, tuto ac jucunde ejicitur, & radix uno quasi ictu præscinditur. De cita ope nullum moveri potest dubium, quoniam mox post assumptionem suam edit operationem; quod tuto dari queat vomitorium, testatur experientia, si modo circumstantiæ probe considerantur, ut nullum adsit notabile contraindicans; De jucunditate quidem aliquo modo dubitari potest, si tempus & actum operandi consideramus, qui certe haud admodum jucundus, si au-

si autem effectum inspicimus, tum maxime jucundum erit & ægroto & medico, si iste adeo laudabilis existit, ut ægrotus vel a toto morbo liberetur, vel a gravioribus symptomatibus præservetur.

§. 3. Profunt vero vomitoria quam maxime in principio febrium tam intermittentium quam continuarum & benignarum aut malignarum, ubi adest conatus vomendi, vel nausea aut peregrinus in ore sapor, five sit amaricans five aliter comparatus, & hoc præstant beneficii, ut illis adhibitis nulla in morbi cursu accidat diarrhœa symptomatica; docuit hoc ipsum Dn. Præses in Germanico Tractatu ante quatuordecim annos de securo usu vomitoriorum in principio variolarum scripto, in quo multiplici experientia munitus dixit, vomitoria tempestive exhibita avertere diarrhoeam, convulsiones & inflammationem seu intumescen-
tiam colli a variolantibus, quibus alias plurimi variolis correpti enecantur. In ventriculo enim ac primis viis inchoari comœdiam vel tragediam variolarum satis exinde colligimus, quia omnes fere vomitu aut conatu ad vomendum vexantur, si igitur materia acris irritationem istam excitans mature removetur, nihil mali inde metui potest, si vero relinquitur aut non debite excernitur, necessario propelli debet ad centrum corporis, ubi vel in collo periculosissimam, imo plerumque lethalem inflammationem ac tumorem, vel in genere nervoso convulsiones, vel in vasis sanguiferis intempestivam apertionem & hæmorrhagiam, vel in intestinis periculo plenam diarrhoeam excitat. In febribus intermittentibus unico sæpe vomitorio tota febris tollitur,

tur, aut saltem magnopere enervatur, ut postea aliis medicamentis eo melius ac citius cedat, hoc autem semper est observandum, ut cum prudentia, non vero indifferenter adhibeatur; *In febribus, quæ cum magna syncope, singultu, aut vertigine incipiunt, statim inchoanda est curatio vomitoriis, hinc danda testacea, & emulsiones cum sero lactis, ita feliciter sanantur.* Bagliv. l. c. p. m. 142.

§. 4. Præter febres in aliis quoque affectibus magna sæpe cum utilitate exhibentur vomitoria, ita in dysenteria Vomitorium ex Ipecacuanha semel, bis vel ter datum plerumque desideratam adfert opem; diarrhoeam diuturnam a sponte superveniente vomitu solvi, docuit Hippocrates Sect. VI. Aphor. 15. Sed vomitus quoq; arte excitatus haud contemnendum affert auxilium. Diversi alii casus, ubi vomitorium exhibendum, enumerantur Sect. IV. Aph. 17. 18. In vertigine, inquit Musitanus, nullum datur majus medicamentum emetico, quoniam juxta Helmontium omnis vertigo ex ventriculo oritur, de quo tamen non immerito dubitatur. In angina epidemica mox in principio adhibitum emeticum magnopere commendatur a Riverio Cent. 2. Observ. 10. & 24. It. Cent. 4. Obs. 60. ab Hartmanno in Prax. Ch. Cap. de Angina; a Musitano Trut. Med. Pr. p. 281. Quantum celebratur Gilla Paracelsi seu Sal Vitrioli vomitivum in apoplexia aliisque gravissimis morbis! Quantopere deprædicatur Emeticum regale Fabri a Langio in Pathol. Animata? Quantis elogiis extollit Musitanus suum Hippocras emeticum? Ludovici suum oxysacharum

rum emeticum ? Multique alii Medico-Chymici Tartarum Emeticum, Aquam Benedictam Rulandi, Sulphur antimonii auratum & alia in diversis affectibus.

§. 5. Et revera multum valet vomitorium, si, ubi convenire videtur, debito tempore & cum prudentia, sicut hoc ex iis, quæ §. 3. & 4. dicta, colligi potest, datur. Illud tamen vix poterit reperire approbationem, si quisquam indiscriminatim omnibus hominibus & in quovis morbo exhibere vellet vomitorium, nullo habito respectu ad circumstantias. Neque etiam imitationem meretur, si quisquam quovis mense vomitorio utitur ad avertendam arthritidem, cujus rei exemplum D. Præses in Collegio Practico discursive produxit, illudq; magnopere improbavit, non aliter enim potest fieri, quin successive destruat ventriculus. Abusus igitur minime est laudandus, qui quidem etiam prudentem ac circumspectum usum nunquam tollere poterit, dum certe ob datas rationes & testimonio ac experientia Practicorum sæpe est insignis, ut certitudo supra traditæ veritatis maneat firma.

VERITAS VIII.

SALIVM VSVS CVRATIVE ET PRAESERVATIVE ADHIBITVS IN QVIBVSVIS FERE AFFECTIBVS EST TVTVS ET PROFICVVS.

§. I.

Salium virtus consistit generaliter in eo, ut incendant, abstergant atque attenuent humores viscidos, referent obstructions vasorum ac viscerum,

resolvant omnem materiam ad coagulationem seu concretionem dispositam, ac insuper sudorem vel urinam promoveant, & secretiones in visceribus adjuvent, ac proinde salium usus admodum late patet, ut credam, sine illis curationes haud adeo bene peragi posse.

§. 2. De Salium differentiis hic agere supersedeo, istæ enim omnibus sunt notissimæ, hoc autem dicam, Salia volatilia vix unquam nocere posse, quoniam agunt incidendo & facillimo negotio absque violenta commotione penetrant; Salia volatilia oleosa sunt insignis usus tam curative quam præservative adhibita, ubi humores sunt viscosi, lenti, acido quodam permisti, aut plane acidi, unde in morbis chronicis, v. gr. Cachexiis omnibus, Malo hypochondriaco, Quartana, Melancholia, Scorbuto frigido, quamplurimis ventriculi affectibus, Arthritide, Apoplexia, Epilepsia, Asthmate, Tussi viscida &c. egregio cum fructu in usum vocantur; ita quoque liquores salini volatiles diaphoretici ac diuretici laudabilem edunt effectum, si justo tempore atque dosi usurpantur & semper fere prævalent omnibus sulphureis, a quibus multo facilius nimia commotio in humoribus excitari potest.

§. 3. Salia media egregia quoque nominari merentur remedia, quippe quæ efficaciter incidunt, & aperiunt, bilis fervorem temperant, illiusque visciditatem, corrigunt, ac humorum lentorem destruunt, coagulationes & concretiones resolvunt, ac sanguinis impuritates per vias urinarias expellunt, unde istorum usus non solum amplius, verum etiam summe proficius non tantum in ante enumeratis affectibus, sed quoque in fe-
bri-

bribus intermittentibus, continuis, & inflammatoriis, scabiosis morbis, calculo, omnibusque aliis, ubi viscerum obstructions referandæ, humorum stagnationes tollendæ, illorumque vitiata qualitas vitiatusque motus corrigenda.

§.4. Salia fixa lixiviosa, virtute incidendi & abstergendi prædita, haud infimam tandem merentur laudem, id enim peculiare obtinent, quod præ reliquis omne acidum austerum & viscosum in primis viis hærens potentissime destruant, unde in ejusmodi morbis, ubi tale acidum prædominium gerit, utilissime exhibentur. Hæc salia cum mediis & radice aronis combinata optimum præbent digestivum, in curatione morborum chronicorum præmittendum; Salia alkalica sunt optima acidi hypochondriaci, hysterici, melancholici, quartanarii destructiva, & febrium intermittentium eradicatoria. Oleum tartari per deliquium est insigne arthritidis fixæ curativum & præservativum, ut alios effectus quamplurimos, qui a salibus alkalicis expectari possunt, hac vice silentio præteream.

§. 5. Acida tandem salia in transitu quasi attingere debeo, ne aliquid, quod ad salium classem pertinet, omittere videar. Ista igitur ad compescendum bilis fervorem & humorum orgasmum satis sunt efficacia, ac proinde, ubi tale quid observatur, utiliter adhiberi possunt, sed in istis regionibus, ubi aer & per æstatem sæpe est frigidus & humidus, ubi quoque in victu in dies fere cibi crassi, viscosi, duri & acidi comeduntur, atque ita potius humores lenti & viscosi, acido inquinati generantur, acidorum usus rarius exposcitur. Quando autem
tem

tem quandoque febres biliosæ & valde ardentes obveniunt, quando variolæ grassantur, ibi acidorum usus est valde salutaris, si quoque curatis ejusmodi morbis anorexia relinqueretur, per blanda acida appetitus optime excitatur.

VERITAS IX.

QUOTIDIANVS NON TAMEN EXCEDENS POTVS AQVEVS CALIDVS BENE INSTITVITVR AD TVENDAM SANITATEM.

§. I.

HOdierno tempore in veram abiit consuetudinem, ut indies vel tantum matutinis vel etiam simul pomeridianis horis hauriatur decoctum uftulorum granorum Coffe, aut Infusum Thee, an vero illud proficuum sit ad tuendam sanitatem, brevibus exponam.

§. 2. Improbare videtur ejusmodi potus in Corollario II. Disputationis, sub Præsidio Celeberrimi D. Bergeri Wittenbergæ A. 1718. De errore diætæ in Potu habitæ, adjecto, quod ita sonat: *Male vitæ consulunt, qui quotidiano, eoque plurimo, decocti fabarum Coffee vel Thee, aut alius herbæ, & cujuscunque pseudothee, potu vitam sanam servare student.* Verum si hanc assertionem recte inspicimus, ex verbis, *eoque plurimo*, judicare licet, ejusmodi potum non modice sed copiose haustum damnari, quod ego quoque ambabus amplector manibus ac totus existimo, ventriculi tonum & fermentum copioso tali potu non esse destruendum, cum hoc ipsum in sanitatem cedere nequeat.

§. 3. Ap-

§. 3. Approbationem talis aquæ potus reperimus in æque celeberrimi D. Frid. Hoffm. Med. System. T. I. p. 548. §. 8. ubi ingeniosissimus Vir ita scribit : *Aquæ purissimæ sive calide sive frigide potæ, digestionē peracta, tempore matutino, aut si cubitum ire velimus, sanitati admodum conducunt.* In Scholio quoque addit : *qui sanitati suæ consulere & graves a corpore morbos arcere cupiunt, cerevisiis & vino assueti sunt, iis omnimodo usum aquæ puræ simplicis, frigida vel calidissima cum herbis convenientibus infusæ maximopere commendamus, & quidem frigidam aquam æstate & calidioribus subjectis. Calida vero nunquam nocet, sed semper utilis est, siquidem emendat cruditates a digestionē in ventriculo & primis viis relictas, abstergit oscula tunicæ villosæ ac glandulosæ, mucositates diluendo aperit, salia excrementitia vero & biliosam pituitam diluit, tum & sanguinis circulum & omnes secretiones eximie adjuvat, unde medicina præservativa adversus omnes morbos certe in aqua salubri requiescit.*

§. 4. Ex hisce jam dictis satis elucescit propositionis meæ veritas, si autem & meam mentem explicare teneor, ad probandam propositam veritatem dico, ex assumptis cibis, peracta digestionē, semper fere aliquid relinqui, quod acidum, acre vel mucosum existit, & hinc evenit, quod multi, quando surgunt, male se habeant, aut molestiam quandam ex ventriculo sentiant, quod revera ex dictis reliquiis prodit, hinc utilissime hauritur potus aqueus ad aliquot scutellas, ut istæ reliquiæ diluantur ac ex ventriculo removeantur, experientia enim docet, quod hausto tali potu, dictæ molestiæ ilico evanescant. Dum itaque istæ reliquiæ plus minus acidæ, a-

E

cres,

cres, aut viscosæ ita diluuntur ac blande removentur, eibis recenter assumtis nullam imprimere possunt vitiosam qualitatem, hinc ulterior chylicatio eo melius absoluitur, ut postea laudabilis chyli secretio fieri queat. Per experientiam quoque liquet, potum huncce calidum matutinis horis haustum multum facere ad aperiendam alvum, & nisi capiatur, eandem manere clausam, hinc utique conducit ad tuendam sanitatem. Sæpius etiam audiui ex illis, qui potu Coffe utuntur, se, quoties doloribus capitis matutino tempore molestantur, ex potu Coffe repentinam reportare opem; & quid opus est verbis, ubi res ipsa testatur de veritate; Plurimi enim, qui hoc potu utuntur, uno ore fatentur se inde multum sentire commodi, nihil vero noxii, seque bona frui valetudine.

§. 5. Vitandus autem omnino est omnis excessus, ne ventriculi tonus nimium relaxetur, & activitas liquoris gastrici enervetur. Neque potandum est brevi ante pastum, ne fermentum ventriculi integritate virtutis ex parte privetur, sed summo mane, ut eandem recuperare queat. An statim post pastum hauriri debeat potus Coffe, non consentiunt, sed si quisquam forsan ad repletionem comederit, & vinum ac cerevisiam largius potarit, illi omnino iste potus mox a pastu erit proficiuus; vitandus porro est potus aqueus, ubi corpus scatet humoribus serosis ac bene fecerni & excerni nequeunt, ne ita in corpore adhuc magis cumulentur.

§. 6. Præjudicium est apud nonnullos, potum Coffe inducere tremorem manuum, sed præterquam quod rarius tale quid observetur, sciendum, illud ipsum, quando

do evenit, non dependere a potu Coffe, sed vitiosa sanguinis temperie, quando iste ad liberam circulationem non est satis aptus, per decoctum calidum autem non-nihil magis commovetur, dum igitur minutissimas vasorum ramificationes & fibras libere transire nequit, a tergo autem propellitur, tunc non mirandum, si in istis fibris aliqualis motus tremulus observatur.

VERITAS X.

LENIS PRIMARVM VIARVM ABSTERSIO SINGVLIS MENSIBVS INSTITVTA MVLTVM VALET AD AVERTENDOS MORBOS.

§. I.


HÆc propositio ejusdem videtur conditionis cum illa quam Dn. Præses in Remed. ad Sanit. Cap. I. exhibuit his verbis: *qui sanitatem suam salvam tueri cupit, primas vias & totum corpus a cruditatibus & impuritatibus immunes reddere atque servare debet.* Sed hic magis generaliter de tuenda sanitate est sermo, cum mea propositio sit plane particularis & respiciat tantum certos morbos, qui ita averti possunt.

§.2. Ratio meæ propositionis deducenda est ex certitudine primæ veritatis, ubi dixi, *qualis chylus talis sanguis, qualis sanguis talis sanitas vel tales morbi.* Si igitur hic vel ille morbus oritur, ac incrementa capit a cruditatibus vario modo sese habentibus, istæ autem, quando generatæ videntur, mature removeatur, morbus ille evenire nequit.

§.3. Specialiter autem ad avertendam arthriticam &

calculosam concretionem magnum ac fere certum adfert auxilium, si quolibet mense lenis evacuatio instituitur per Mercurium dulcem, adhibitis simul paucis eidem intentioni inservientibus; ad avertendam colicam sæpius invadentem, certum est remedium blanda primarum viarum absterfio, quovis Mense administranda per adæquatum remedium pro diversitate subjecti eligendum; ad mitiganda & avertenda symptomata hypochondriaca & hysterica infallibile est remedium Magnesia alba, quovis Mense convenienti modo usurpanda; ad sedanda & declinanda symptomata hæmorrhoidalia eadem Magnesia magnum est remedium, si decenti modo quovis mense exhibetur. Alvi obstructionem antea satis pertinacem tollit & avertit eadem hæc Magnesia singulis mensibus assumpta, ut alios usus a Magnesia expectandos, quos Dn. Præses in Remed. ad Sanitat. p. 5. consignavit, taceam. Torminosos ventriculi dolores crebrius excruciantes profligatos esse per Tincturam Rhabarbari in Pharm. Bateana descriptam, testatur Harris. Sodam continuo fere ardore molestissimam tandem victam & profligatam esse, simplici infuso Rhabarbari, quovis mense per tres dies usurpato ipse expertus sum. Asthma humorale frequentius affligens per Sal catharticum amarum in aqua hyssopi vel saturejæ solutum & quolibet mense ter usurpatum egregie esse mitigatum & sublatum testatur Dn. Præses.

§. 4. Plures quidem ex Practicorum scriptis addere possem observationes, sed temporis ratio me jubet, ut præsentis dissertationis finem faciam!





GRATVLATORIA AD CANDIDATVM.

Bene egisti, Nob. Dn. Schwarzi, quod talem pro-
scribendo specimine Inaugurali elegeris materi-
am, quæ nonnullas veritates Medico-Præcticas
inquirendas ac examinandas exhibet. Quivis
Medicus in hoc merito & quam maxime occupatus esse
debet, ut Veritates in Medica Praxi absque præjudicio
indaget, h. e. ut causas & producta morborum exami-
net, & iuvantia ac nocentia bene observet, seu recte at-
tendat, qualis causa hunc vel illum morbum ac sympto-
mata inducat, ut adequata opponere queat remedia, quæ
illum edunt effectum, quem desideramus. Si igitur hæc
omnia recte aguntur, eo pervenire possumus, ut veritates
præcticas eruere valeamus, quas Baglivius omnibus Præ-
cticis adeo commendat, ut sine illis praxin haud bene ex-
erceri posse judicet; Laudo itaque tuam intentionem, quam
ostendis, dum in Veritates Præcticas inquiris, illasque
rationibus & experientia demonstras. Cognosco nunc
tuorum studiorum scopum, tibi nihil magis curæ cordi-
que fuisse, quam pervenire ad Veritates Præcticas. In
Collegiis enim privatissimis, quæ adeo industrius fre-
quen-

quentasti, ut ne unicam quidem horam neglexeris, semper eras sollicitus de inquirenda veritate, ut istam tibi redderes cognitam, dum semper, si tibi adhuc super erat dubium, interrogando desiderabas ulteriorem rerum propositarum explicationem, sufficientesque rationes, ut ita majorem tibi conciliares certitudinem rerum in Praxi agendarum. Et ecce, praesens Specimen satis testatur de tua Eruditione & Scientia medica, quam tibi indefesso labore comparasti, ut certo sit sperandum, te celebri Reipublicae Scaphusiensi haud exigua praestaturum fore officia; Et dum praeter studia hic loci quoque laudatissimam ubique egisti vitam, ac singulari morum civilitati semper studuisti, eo magis mereris, ut Proceres Reipublicae sibi te habeant de meliori commendatum. Gratulor nunc tibi animitus Honores Doctorales, hodie tibi conferendos. Gratulor Illustri Parenti magnum gaudium de Filio mox reversuro, nomen & omen Doctoris secum reportaturo. Gratulor Reipublicae de Cive Virtute ac Eruditione conspicuo. Felicia sint omnibus omnia! Perge sicut hic incepisti, sic felicem ages vitam ad vitae finem, quod ex toto corde adprecatur.

PRÆSES.